

forte pratermissum fuerit, cause nihil dicam, neque pœnas exigam. Cum verò rebus tam utilibus plenam, nulliusque rei indigam fecerim, & jam spinas tamen portat; Num igitur inertem, num desidiosum agricolam dicet, an potius illos accusabit, qui tantù sollicitudinem curati à me adeò fertilitatem neglexerunt?

11 Haud difficilior esset apologia quinque virginum, quas Christus immerito vocaverit fatuas, si vasis oleum defuit, non virginum negligientiam, sed necessitate, seu defectu protestatis. Quam hic sponsus culpam reperiat, cur virgines ostium pulsantes repellat?

12 Apoc. 3. v. 20. Ecce, inquit, Deus, sto ad ostium & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad illum. Quis prudens stabit ad ostium ejus pulsans, quem scit aperire non posse? Nos verò contra damnati Articuli Authorem Catholicè credimus, plurimorum à Deo ostium pulsari, qui sufficienze auxilio præventi, aperire possent; sed culpa suā negligunt, vel magis damnabili pervicaciā nolunt.

13 Exprobatio act. 7. v. 5. Vos semper Sp̄ritui Sancto resistitis nihil habet sani judicii, & equitatis, si absque efficaci auxilio nunquam, ut docet damnata propositio, obedire potuerint.

14 I. Joan. 2. v. 2. De Christo dicitur Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. I. Timoth. 4. v. 10. Qui est salvator omnium hominum, maximè fidelium. Omnes, si Quesnellum audierint, reclamabunt infideles: nobis Salvator ille non est, qui nihil nobis promeruit, quo ex infidelitate emergere possemus. His voces suas, & querelas jungent omnes inducendi peccatores: Nobis, inquieti, nihil gratia concessum est, nihil unquam serio oblatum, quo obduracionem vel depellere possemus, vel evitare. Insurgent cum eis omnes reprobi dicentes: Quomodo Christus fuit propitiatio pro peccatis nostris, qui nihil nobis unquam impertivit, vel preparavit, quo liberationem à peccatis consequi ullus nostrum valuerit, prout oportuit ad salutem? Quapropter si de coelesti beatitudine, & eterna salute sermo est, nullo sano sensu Christus dici potuit ullius nostrum salvator; sed solummodo electorum. Hæc necessaria est Quesnelliiani Articuli sequela minimè Catholica.

15 Frustrà sibi damnata propositio patrociniū querit ex illo Christi Luc. 16. v. 3. Sine me nihil potestis facere: ut enim verissimum est, nihil boni salutiferi, de quo illic agitur, fieri posse sine Christi gratia, sic à veritate alienum est, nihil boni naturalis, & honesti fieri sine gratia posse. Hereticos autem censit Confutatio theol. propugnat. Tom. I.

suram propositio sine dubio meretur, dum negat absque efficaci gratia auxilio consistere veram exercendi boni operis libertatem, ut nullus opus præceptum, quod omisit, præstare valuerit. Igitur sine gratia Christi subdicio nihil ad salutem proximè, vel remotè conducens facere possumus; possumus tamen absque auxilio efficaci, modo sufficiens adfuerit, ut contra Jansenistas tenet Ecclesia, & iterum contra Quesnellum Sedes Apostolica definitivit.

### C A P I T U L U M III.

Eadem Propositio contraria est traditioni Patrum.

**Q**UÆRIT Clemens Rom. vel quisquis est Author lib. 3. Recogn. *Die quomodo Deus judicat secundum veritatem unumquemque pro actibus suis, si aliquid agere in potestate non habet?* *Judices frustrè legibus præsunt, & puniunt eos qui male agunt; non enim in sua potestate habuerunt.* Juxta Quesnellum omnes, quibus defuit gratia efficax ad perficiendum opus præceptum, atque adeò omnes qui omissione operis præcepti peccaverunt, rectè puniuntur, et si per secundam propositionem damnatam in suâ potestate non habuerunt, ut opus impositum faciendo non peccarent.

2 Justinus Apologiæ ad Imperatorem Antoninum: *Nisi libero arbitrio genus humanum, & res turpes fugere potest, & pulchras, ac bonas sequi, extra causam culpamque est eorum, que modò aguntur.* Juxta Quesnellum genus humanum, quotiescumque destituitur gratia efficaci, sive quotiescumque res pulchras, ac bonas non sequitur, eas sequi non potuit, nec tamen extra culpam est.

3 Irenæus l. 4. adversus hereses Capit. 71. hunc titulum præfigit: *Ostendo, quod homo liber sit, & sua potestatis, ad hoc quod possit eligere bona, vel contraria.* Quesnells ait, omnem hominem qui male agit, bona eligere non potuisse.

4 Idem Sanctus Pater Caput sic concludit: *Hi autem, qui illud (bonum) non operantur, iudicium iustum recipient Dei, quoniam non operati sunt bonum, cum possent operari illud.* Quesnells docet, hos qui bonum non operantur, iudicium iustum recepturos Dei, et si quod operati non sunt, operari non potuerint.

5 Iterum Irenæus cap. 72. *Sed quoniam omnes ejusdem sunt naturæ, & potentes retinere, & operari bonum, & potentes rursum omittere, id est non facere, iuste laudantur, & dignum recipiunt testimonium electionis bone, & perseverantie, alii vero accusantur, & dignum percipi-*